



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

§. 103. Cenomanensis Episcopi scriptum in favorem Gallorum Præsulum
divulgatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

Sæcul.XVI.
A.C.1594.

„auctoritas vilescat, ac tandem ipsius
 „Pontificis nomen antea cunctis piis
 „venerabile, postremo odiosum, & in-
 „visum reddatur: tum vero Pontifex
 „periculo suo cognoscet, quam impru-
 „denter pravis, ac violentis Montorii,
 „& Placentini Cardinalis consiliis au-
 „sultaverit: insuper brevi comperiet,
 „quod omnes Franciæ Nobiles sese a
 „Sedis Apostolicæ obsequio separaturi
 „sint, exinde autem ipsemet accerseret sibi
 „invidiam foederatorum, qui eorum,
 „quæ in ipsorum gratiam fecit, nullam
 „rationem habituri sunt.„ His dictis
 Dux se paratum exhibebat ad filium
 suum tanquam obsidem Romæ relin-
 quendum, ut exinde Sanctitati suæ te-
 statum fieret, quod cuncta, quæ scripto
 hacin re significare voluerit, sedulo exe-
 cutioni danda forent: attamen Ponti-
 fice nil de sua firmitate remittente Dux
 post factam hanc declarationem ob si-
 nistrum legationis suæ successum mœ-
 rore confectus per Florentiam, & Fer-
 rariam itinere facto, Venetias perrexit,
 ubique honorificentissime exceptus.

§. CIII.

*Cenomanensis Episcopi scriptum in fa-
 vorem Gallorum Præsulum
 divulgatum.*

Cc 5

Pariter

Sæcul. XVI. **A.C. 1594.** **Pariter** Claudius de Angennes Cenomanensis Episcopus, qui Ducem comitabatur, priusquam ex Italia discedebat, scriptum quoddam elucubravit, illudque sedulo divulgandum curans, omnia, quæ ad Regem reconciliandum a Galliæ Episcopis facta fuerant, salva Sedis Apostolicæ auctoritate fuisse perpetrata ostendebat, expositisque rationibus, ob quas ad absolutionem Regi impertiendam impulsi essent, præcipue urgebat, quod omnes, qui a Communionem Ecclesiæ quacunque de causa etiam Sedi Apostolicæ reservata, sejuncti sunt, si legitimo impedimento prohibeantur, quo minus Pontificem adire queant, tunc absolvi possint ab alio, cautione adhibita, ut, cessante impedimento, ad B. Petri limina accedant: hanc vero rationem etiam locum habuisse demonstrabat in Henrico Rege, qui ob rerum suarum necessitatem semper armatus in Regno suo hæerere cogebatur, atque aliunde continuo expostus erat insidiis, quas ei hostes sui struebant, ac ipse eorum laqueos declinaturus non modo vigilem semper oculum habere, sed etiam præsens in Regno esse compellebatur: hanc ergo rationem ad absolutionem ab Episcopis recipiendam sufficere, Cenomanensis plurimis testimoniis, quæ ex celebrioribus Canonum

Docto-

Doctoribus petebat, comprobatum red-^{Sæcul. XVI.}
didit, ac inde conclusit, quod Fran-^{A.C. 1594.}
ciæ Præsules Regem jure a censuris sol-
vere potuerint, cautione, & conditio-
ne adhibita, quod summo Pontifici post-
ea debitam hac in re submissionem, ejus-
que imperio parendi voluntatem testa-
turi essent, quam etiam hodie dum ex
intimo cordis sui affectu eidem exhibere
parati forent.

§. CIV.

*Fœderatorum Deputati Romam ve-
nientes.*

Cum interea hæc Papam inter, & ^{Thuan. 89}
Nivernium Ducem gererentur, Ma-^{Avil. l. c.}
duani Ducis Oratores Romam veniunt, ^{Coyet. t. 3.}
sique erant Claudius Bellofremontius
Senescæus, & Nicolaus Pila Orbafius
Abbas, quos Joyosa Cardinalis Fœde-
ratorum Deputatus comitabatur. Hi
ergo die vigesima octava Januarii ad
Pontificis alloquium admissi omnia
hucusque gesta exponebant, atque eo-
rum infaustum successum adscribebant
politicis Hispanorum consiliis, necnon
cunctationi, qua hi tam militum, quam
auri suppetias liberaliter promissas trans-
mittere cunctabantur, vanaque spe Ja-
ninum Præsidem lactabant: his præ-
missis Deputati summum Pontificem ro-
gabant, ut considerato deplorando Re-
ligionis,